

Die 31 Maji

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS REGINÆ

Duplex II classis

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virginis, præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Capit. Eccli. 24, 5 et 7

Ego ex ore Altissimi prodivi, primogénita ante omnem creaturam: ego in altissimis habitavi, et thronus meus in columna nubis.

Prima stropha sequentis Hymni dicitur flexis genibus.

Hymnus

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,

Nos, culpis solutos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut, videntes Jesum,
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus.

Amen.

V. Salve, Regina misericórdiæ. (T. P. Allelúja.) **R.** Ex qua natus est Christus, Rex noster. (T. P. Allelúja.)

Ad Magnif. Ant. Beáta quæ credidisti, * quæ dicta sunt tibi a Dómino: cum Christo regnas in ætérnum. (T. P. Allelúja.)

Oratio

Concède nobis, quæsumus, Dómine: ut, qui sollemnitatem beátæ Mariæ Vírginis Reginæ nostræ celebrámus; ejus munítí præsidio, pacem in præsentí et glóriam in futúro cónsequi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Completorium de Dominica.

APPROBATIO

Concordat cum originali approbato.

Ratisbonæ, die 5 Augusti 1955

v. n.

JOSEPH MEINDL

Ratisbonæ, sumptibus et typis Friderici Pustet

Printed in Germany